

VERS. 10. — EXPLETIS AUTEM ANNIS VIGINTI POSTQUAM ÆDIFICAVERAT SALOMON DUAS DOMOS, etc. Eodem anno, quo Salomon à Deo in somnis hinc sermonem accepit, compensare voluit regis Tyri tam liberale, ac propensum studium, quo aurum, et ligna obtulit de Libano ex abiete, et cedro, quotquot ad egregias sumptuosasque molitiones habuit necessaria. Quare viginti annorum operas et sumptus viginti oppidorum concessione prosecutus est, quæ in eâ Galilææ regione sita erant, quæ gentiliū hominum terminos attingit, quæ ideò Galilæa gentium appellata est Isai. cap. 9, v. 1. Quæ cum Hiram esset per otium contemplatus, quasi pro compensatione, atque officio accepisset injuriam, liberè cum Salomone, quasi merces illa exigua foret et vilis, expostulavit. Atque ideò appellavit *chabul*, quæ vox aliquid sonat Phœnicum linguâ vile, ut putat Josephus libro octavo, capite secundo, aut id quod displicet; Rabb. Salomon, ut refert Lyra, lutosam terram interpretatur, Rabb. Nahaman arenosam. Quidquid tamen sit sive ab uligine et luto, sive ab arenâ et glareâ, sive ab aliâ soli infelicitate id contigerit, displicuit tractus ille terrarum regi Tyrio, et suas sibi Salomoni civitates habere jussit. Ita putat Josephus supra, et videtur certum ex his quæ proximè dicentur.

An Salomon gentili regi aliquid ex Israelitarum funiculo tradere potuerit, id est, Dei hæreditatem abalienare, et quodam modo idolorum impiæ consecrare religioni, quærit Abulensis quæst. 8, et omninò negat partem aliquam è terrâ promissionis alteri potuisse tradi mancipio, et in eam sententiam adducit

nous éloignons de lui, et nous cessons de le suivre et de garder ses préceptes, puisque du temple de Dieu que nous étions, nous devions la retraite des démons, et comme il est dit ici, la fable et l'objet des railleries de tous les peuples. (Sacy.)

VERS. 8. — DOMUS HÆC ERIT IN EXEMPLUM, documentum justitiæ meæ; vel potius: Statuetur in exemplum urbis infelicis, quam Deus punierit. Hebræus: *Domus hæc erit excelsa*, ad statum illum desolationis redigetur, ad quem redacta sunt loca olim paganorum superstitione dedicata. Ab omnibus derelicta contemnetur. Vel potius: Redigetur in struem lapidum et ruderum. Jonathan: *Hæc domus excelsa erit diruta*. Alii: Templum hoc, quod futurum est celebre adèd, ac dignitate sublime, redigetur tandem in maceriam. Denique: Domus hæc Altissimi eò, redigetur ut transeuntes omnes illudentes, dicant: Unde tantum in se casum à Domino provocavit? Favent huic interpretationi Paralipomena; ita enim ferunt in Hebræo: *Domus hæc, quæ fuit excelsa omni transeuntem super eam, erit stupori*. (Calmet.)

rationes prudentum judicio non infirmas. Prima, quia neque hæreditas ex unâ tribu ad aliam transferri poterat, ne ulla esset sortium familiarumque confusio. Neque si quid ad alienos, id est, ad alienam familiam esset pretio distractum, id ullo modo poterat esse perpetuum: atque ideò Jubilæi tempore ad priores dominos redibat alienata possessio. Deinde, quia nullus abdicare poterat à suâ familiâ, nisi id, cujus erat omninò dominus, ut de illo suo arbitratu statuere posset; sed ex illâ ad regiam majestatem et sumptus usum capiebat, et fructum, in hæc posteriora liberam habuit potestatem; atque ideò ad alterum, ad certum aliquod tempus, salvâ lege ac religione transcribere potuit: mancipium tamen, sive dominium integrum ac solidum non potuit. Quòd verò terra illa Deum habuerit, non regem dominum, habemus ex Levit. capite vigesimo quinto, versiculo vigesimo tertio. *Terra quæ non vendetur in perpetuum, quia mea est, et vos advenæ, et coloni mei estis; unde omnis regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*. Lege totum caput, quod valde facit ad Abulensis sententiam. Putat igitur Abulensis, non tradidisse Salomonem civitatum illarum regi Tyri mancipium, sed usum, ut illarum fructus tamdiu perciperet, quamdiu de impensis in templi regiarum domus constructione factis sibi satisfaceret. Sed, ut putabat Josephus, quod mihi etiam videtur valde verisimile, non admisit Tyrus, quia illæ civitates non videbantur ejusmodi, ut ex illis ullo modo, aut non nisi diu, et cum gravi molestiâ tanti sumptus compensari potuerint. Neque omnia Salomon à Tyrio gratis acceperat. Eâ enim lege comportari à suis voluit cæduam materiam, ut habes supra capite quinto, versiculo decimo, ut Salomon domui suæ in cibos necessaria interea præberet: *Præbebis*, inquit Tyrius, *necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ*. Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui ejus, et viginti coros purissimi olei. Hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos. (1)

(1) VERS. 13. — HÆCNE SUNT CIVITATES, QUAS DEDISTI MIHI, FRATER? Leve hoc dissidium inter Salomonem et Hiramum subortum minime læsit amicitiam, quam inviolatam, donec ambo vixere, servârunt. Aliter profectò Salomon debito, quo erga regem Tyri obstringebatur, satisfacisse censendus est. Ambo hi principes mutuo sese fratrum nomine et amore prosequabantur. Quæ erat regum orientalium mutua consuetudo. Benadadum regem Syriæ fratris nomine compellat Achabus: *Si adhuc*

VERS. 14. — MISIT QUOQUE HIRAM AD REGEM SALOMONEM CENTUM VIGINTI TALENTA AURI (1). Non misit Hiram hæc tot talenta exactis viginti

vivi, frater meus est. Quod acceperunt viri pro omine., atque dixerunt: Frater tuus Benadad. David in elogio funebri Jonathæ, fratris nomine illum donat. Regibus Alexandro et Demetrio Jonathas Machabæus frater est, frater est Lysias Antiocho, copiarum ejus imperator. (Calmet.)

ET APPELLAVIT EAS TERRAM CHABUL. *Chabul*, Phœnicum linguâ, ait Josephus lib. 8, c. 5, significat, non placens, vile, displicens. Ita Abulensis, Cajetan. et alii; Hebræorum verò linguâ *chebel* significat *compedes*, inde *chabul* significat *terram tenacem* et lutosam, quæ gradientes remoratur, eisque quasi compedes injicit, ut vix progredi queant. Ita R. David, Vatabl. et Pagnin. Posset quoque *chabul* per metathesin deduci à *keleb*, id est, canis, q. d.: *Terra canina*, vilis et spurca instar canis; unde Josephus ait Hiram noluisse has urbes acceptare, itaque eas mansisse Israeli. (Corn. à Lap.)

(1) Il semble que la conduite du roi Hiram, qui contribua comme un mercenaire à la construction du premier temple que l'on ait offert à Dieu, lorsqu'il aurait pu avoir la gloire de le faire gratuitement, nous donne lieu de faire ici une sérieuse réflexion sur notre propre conduite dans ce qui regarde le culte de Dieu. Tous les exercices d'un chrétien et encore plus toutes les fonctions d'un pasteur, sont comme autant de travaux qui regardent l'édifice spirituel de la maison du Seigneur, soit dans nous-mêmes ou dans les autres. Si les pasteurs, dans tous leurs travaux, envisagent comme saint Paul, non leurs propres intérêts, mais uniquement ceux de Jésus-Christ; s'ils sont comme lui dans la pureté de cette disposition intérieure qui le portait à travailler gratuitement et dans la vue de Dieu seul pour la gloire de l'Évangile, ils contribueront, comme le roi Salomon, d'une manière généreuse, au temple de Dieu. Et de même si les fidèles, chacun selon son état, s'emploient avec une charité vraiment pure à ce qui regarde l'édifice de la maison du Seigneur dans eux-mêmes; s'ils n'y regardent que la gloire de celui en l'honneur duquel toutes les créatures, figurées par tant de victimes que l'on offrit dans le temple, doivent être immolées, ils imiteront la conduite désintéressée des Israélites, qui contribuèrent par de généreuses profusions de leurs richesses à la construction de ce premier temple.

Mais si, au contraire, les uns et les autres ont des vues intéressées d'amour-propre dans cet ouvrage qui est tout de Dieu, lorsqu'un jour ils considéreront sérieusement à leur mort ces récompenses terrestres que leur amour-propre leur proposait, ils ne les regarderont que comme un néant. Ils diront alors, ainsi que le roi Hiram, mais avec un sentiment de douleur bien différent de celui de ce prince païen, qui n'en était qu'une très-faible figure: *Était-ce donc là ce qu'on voulait nous donner? Était-ce à ces villes de boue et de sable que nous aspirions? Combien l'or du vrai Salomon, c'est-à-dire et sa charité et sa justice, nous serait-il plus avantageux? Et que nous trouvons maintenant tant de travaux mal récompensés, parce que nous ne travaillions pas pour Dieu seul!* (Sacy.)

s. s. x.

annis à fundatione templi, quando oblata fuerunt à Salomone civitates viginti, et ab ipso rejectæ: neque enim absoluto jam templo, et aliis substructionibus, quas Salomon immani quodam sumptu moliebatur, necessarium erat vim illam auri maximam conferri. Ita Abulensis quæst. octavâ. Significatur hic quantum auri à rege Tyri collatum fuerit, cujus sanè summa magna fuit, cujuscumque pretii, ac ponderis talentum esse status. Nam habuisse talentum sub hæc tempora tantum ponderis, quantum olim cum Moyses populum ex Ægyptio jugo liberavit, nunquam mihi persuadere potui. Cum autem Hiram tantum lignorum ex cedro, atque abiete tribuerit, insuper tot auri talenta, nihil mirum si stomachosius tulerit pro tantâ liberalitate tam vilem atque exiguam mercedem à Salomone rependi.

VERS. 15. — HÆC EST SUMMA EXPENSARUM, QUAM OBTULIT REX SALOMON AD ÆDIFICANDAM DOMUM DOMINI, etc. Hic locus ad versum usque 20, obscurus est, et impeditus valde. Communiter interpretes illud, *rex Salomon*, in recto statuunt, quasi expensas fecerit Salomon, in illis rebus, quas aut ædificavit de novo, aut instauravit, et munivit; quas ad versum usque vigesimum secundum enumerat. Neque exiguum esse oportuit, quod in tantâ ac tam multiplici molitione consumptum est. Hanc ego sententiam cum aliis amplector, ita tamen, ut in summâ non intelligam numerum, aut pondus argenti atque auri, quod expensum est, sed numerum, et rationem eorum, in quibus construendis et concinnandis tot à Salomone divitiæ consumptæ sunt. Et quidem vox Hebræica *dabar*, pro quâ vulgatus reddidit, *summam*, non rarò causam, rationemque significat. Ubi vulgatus obtulit, Hebr. est *heclalah*, quæ propriè valet, *ascendere fecit*, quæ vox ad varios patet usus, neque magis valet *offerre*, quàm *afferre*. Quare sensus est: Hæc est causa, aut materia expensarum et sumptuum quos fecit Salomon. Primo loco constituit domum Domini, deinde domum regiam, postea civitates quas munivit, aut de novo construxit, de quibus aliquid nobis dicendum est.

ET MELLO. Diximus supra 2 Reg. 5, versiculo 9, quid esset Mello, et quomodò à Davide deductus fuerit murus, qui civitatem ejus, id est, arcem Sion circumquaque vallavit. Nunc verò audimus ædificatam à Salomone, qui partem illiustemplo, partem, juxta sententiam Hebræorum (ut tradit hic Lyra et Abulensis, quæst. 8), ædificiis aliis occupavit, ad orna-

tum, et usum illius domus, quam uxori suae Pharaonis filiae magnificis operibus extruxit. Cum autem eo in loco communi civium usui magna foret commoditas, quia prope templum erat, et ibi qui religionis gratia venerant, expectare poterant sine ulla, aut certe cum minori molestia, graviter tulerunt cives ereptum sibi, peregrinisque locum opportunum hominibus, maxime, ut serviret Aegyptiae feminae sive ambitioni, sive deliciis. Eam ob causam aliqui rebellaverunt contra Salomonem, quorum princeps fuit Jeroboam filius Nabath, qui postea decem tribus à Hierosolyma et templo, atque à Davidica familia distinxit, infra cap. 11, v. 26: *Jeroboam quoque filius Nabath, etc., levavit manum contra regem, et haec est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon aedificavit Mello, et coarctavit voraginem civitatis David patris sui.* De Mello variae sunt sententiae, quas enumerare longum esset, atque molestum opus, et sine magno tantae operae pretio. Quod Hebraei putant, minus mihi videtur habere difficultatis; neque aliter video, quomodo aedificata Mello Salomon offensionem populi, atque invidiam incurrere potuerit, et maxime, ut diximus, Jeroboam. (1)

VERS. 16. — PHARAO REX AEGYPTI ASCENDIT, ET CEPIT GAZER, etc. Docet quomodo haec civitas ad Salomonis potestatem veniret, cum ante illud tempus non fuerit ab aliis, qui rei Israeliticae praefuerunt, in provinciam redacta, sicut aliae plurimae civitates, quas descripti terrae promissionis termini amplectebantur. Ascendit autem in terram promissionis Pharaos, ut Salomoni dotatam filiam matrimonio conjungeret, neque putavit futuram despiciabilem dotem, si summo Chanaanæ domino, qui Hebraeorum nomini semper fuerat infensus, illius civitatem Salomoni genero subiceret; quod facile consecutus est. Quam Salomon aedificavit, sepsitque moenibus cum civitatibus aliis, quas statim recenset. Quidam dotatam Pharaonis filiam negant esse, quia apud He-

(1) HESER, vel Hazer, vel Chazer. Hujus nominis plures sunt urbes, e quibus una sedet in tribu Juda, altera in Nephthali et alibi. Quare definiendo quam potissimum munierit atque aedificaverit Salomon, frustra laboremus.

MAGEDDO, in tribu Manasse.

GAZER, quam urbem everit Josue, cujus et regem interfecit. Obtigit in partem tribus Ephraimi, atque in sedem Levitarum destinata fuerat, sed à Chanaanæis iterum superata, ipsis usque ad Salomonis regnum paruit. Pharaos rex Aegypti armis illam cepit deditque Salomoni in dotem pro filiae nuptiis. Salomon verò illam et restituit et munivit. (Calmet.)

braeos sponsae non à parentibus, sed à novo conjugè dotem accipiunt. Atque ideò non tam dotis, quam muneris nomine civitatem illam traditam esse putant. Conjectarent illi optimè, si eadem esset externis regibus consuetudo, quae Hebraeis. At externi, quales erant Aegyptii, filias suas indotatas domo abire non sinunt. Quòd verò à parentibus dotatae ad nuptias adducantur filiae, res est nota. De quo pluribus Tiraquellus in leg. connubial. l. 5, unde saepe audimus feminam ab honestate et ingenio pudore satis esse dotatam, quantumcumque sit pauper. Sic sanè Lacæna puella pauperula rogata, quam dotem allatura esset sponso, pudicitiam respondit à majoribus traditam. Ita Plutarchus in Apophtheg. Lacon. Et idem de pulchritudine dixit Apuleius Apologia 2, ubi ait satis secum dotis afferre virginem, licet sit oppidò pauper, si sit pulchra, quod ante illud Ovidius cecinit:

— *Dos est sua forma puellis.*

VERS. 18. — (1) ET PALMYRAM IN TERRA SOLITUDINIS (2). Palmyra expositio est vocis Hebraicae

(1) BALAATH. Duæ vel tres urbes hujus nominis occurrunt, et quae potissimum ex iis hic innuatur non indicato situ ignoramus. (Calmet.)

(2) Hebraeus: *Thamor in deserto in terrâ.* Septuaginta tantum: *In deserto.* Clericus nomen *Aram* supplens, vertit: *In deserto, in terrâ Aram;* id est, in Syria. Constat equidem, urbem Thadmor vel Thadmar in Syria Sobâ jacuisse. Urbs Palmyrae apud veteres magnoperè celebratur. Jacebat in medio vastissimae solitudinis, undique circumfusae, opibus, aquis, amplitudine etiam atque etiam commendata. Media erat inter duo imperia, Romanorum et Parthorum, distans à Seleucia ad Tigrim, 557,000 passibus, et à litore maris, 203,000 passibus, atque à Damasco 176. Ambigunt nonnulli, utrum urbs Thamor vel Thadmor, de qua hic Hebraeus, eadem cum Palmyra censenda sit. Sed in hanc sententiam nos deducit Scriptura affirmans, Salomonem subegisse regionem Emath Soba, ibique Thadmor condidisse. Nulla enim est in his regionibus urbs, praeter Palmyram, quaecum haec omnia congruant. *Thamar*, vel *Thamor* in Hebraeo sonat *palmam*; et Graeci Palmyram eandem urbem, quam Syri *Thabor* vel *Thadmor* appellant, teste Josepho. Denique situm Palmyrae ita describit Josephus, ut satis congruat cum urbe, de qua Plinius. Asserit enim, distare à superiore Syria duarum dierum itinere, ab Euphrate, unius diei; à Babylone magnâ, sex dierum: causam verò condendae hic urbis Salomoni hanc fuisse tradit, quòd nullos in agro fontes vel puteos, nisi hic nactus sit. (Calmet.)

ET PALMYRAM. Hebr. et Septuag., *Thamor*, id est, *Palma*. Videtur ergo urbs haec dicta *Palmyra*, à palmarum copia, et palmetis ibidem abundantibus, ait S. Hieron. in Ez. ch. cap. 47 et 48. Sita erat trans Jordanem in finibus Israel, pertinebatque ad dimidiam tribum Manasse, distans à Damasco 27 millibus passuum.

*Tamor*, quae palmam significat, quasi dicas, civitatem palmarum, quo modo vocata est Jericho, quia palmis abundabat. De hac videtur Plinius locutus fuisse lib. 5, cap. 15, quam exactè describit, sicut etiam Josephus lib. 8, cap. 2.

VERS. 19. — ET OMNES VICOS, QUI AD SE PERTINEBANT, ET ERANT ABSQUE MURO, MUNIVIT (1). Hinc conjectare quis posset hos vicos, qui à Salomone dicuntur vallati moenibus, non procul esse ab hostilibus finibus, quasi ibi fuerint aliquot vici, qui ad ipsius ditionem non pertinerent. Nam vicos omnes, quotquot erant in terrâ promissionis, à Salomone fuisse vallatos, res videtur admodum creditu difficilis. Accedit quòd aliquot civitates statim dicuntur à Salomone munitae, quae erant, ut apparet, et magnae, et procul ab hostili terrâ, de quibus non ageretur hic seorsum, si de omnibus vicis, quotquot essent in terrâ promissionis, superior esset sermo.

ET CIVITATES CURRUM, ET CIVITATES EQUITUM. Habuisse Salomonem multa equorum millia currilium, multa equestrium, diximus supra, capite 4, versu 26. Hos verò in variis civitatibus ditionis suae ali (nimirum quae non

aedificavit eam ergo Salomon ibidem tanquam in extremo imperii sui limite, et validissimis moenibus cinxit; postea ab Adriano imper. restaurata dicta fuit *Adrianopolis*. Ab hac urbe celebri tota regio et solitudo vicina dicta est *Palmyrena*. Vide Andrichom. pag. 92, num. 75. (Corn. à Lap.)

(1) Hebraeus: *Omnes urbes thesaurorum, vel horreorum erant ipsi.* Urbes, quò colligebat proventus suos omnes, frumentum, vinum, oleum, quaeque erant in finibus regni; neque enim credimus, urbes omnes regni sui munitis. In Exodo legimus, regem Aegypti coegisse Judaeos condere urbes appellatas eodem nomine, quod et hic recurrit: *Urbes thesaurorum, vel urbes munitas*; vel denique *urbes tabernaculorum, urbes bellicas*. S. Hieronymus, qui in recitato Exodi loco Hebraeum reddidit: *Urbes tabernaculorum*, vertit hic: *Vicos qui erant absque muro.* Originalis ad litteram exprimere potest: *Urbes indigentiae*, urbes destinatae ad servandam annonam, ut inopiam seu praevenerent, seu depellant.

ET IN LIBANO. Aedes condidit, quibus datum est cognomen: *Saltus Libani*, quanquam in urbe Hierosolyma continebantur. Cui in et in Libano aedificium aliquod constituit. Sponsus in Cantico meminit turris Libani, cujus vestigia nonnulla adhuc superesse in Libano, affirmat Gabriel Sionita; Benjamin Tudelensis narrat ejusdem aedificii rudera quaedam sese vidisse, cujus lapides porrigebantur in longum palmis viginti, in latum duodecim. Constans regionis illius traditio fert, Salomonem regionem illam aedificiis aliisque pluribus operibus ornasse. Porrò transitus Libani magno erat illi momento, ut aditum haberet in Syriam, subditam imperio suo regionem. (Calmet.)

procul abessent a regia domo, seu sede) habemus libro secundo Paralipomenon capite 9, versiculo 25: *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et currum, equitumque duodecim millia, constituitque eos in urbibus quadrigarum, et ubi erat rex in Jerusalem.* Has civitates Salomon moenibus sepsit, tum quia ipsae eo ornamento et munimento non videbantur indignae; tum quia illud belli subsidium, et pacis ornamentum ab hostium caliditate et impetu servatum oportuit.

VERS. 20. — UNIVERSUM POPULUM, QUI REMANSERAT DE AMORRHEIS, ET HETHEIS, etc. Remansisse à Chanaanæo genere quamplurimos in terrâ Chanaan, quam ante Hebraeorum appulsum ipsi possederant, constat ex versiculo 16, de quo nuper. Ubi Pharaos dicitur è civitate Gazer eiecisse Chanaanæum, et civitatem illam dotis nomine Salomoni tradidisse genero, et Josue capite 16, à versiculo 10, ubi Chanaanæus habitasse dicitur in terrâ Ephraim. Et capite 17, versiculo 12, hoc idem fecisse dicuntur iidem Chanaanæi in terrâ Manasse, et in pluribus aliis tribubus multi dicuntur ex eo genere relictis, qui subjugari non potuerint ab Hebraeis. Hos non expugnavit David, sed reliquit tributarios, sicut aliquos ex eadem gente, qui neque prius à Josue, neque postea judicum tempore subjugati fuerunt aut expulsi; sed hi fortassè aut impositum à superioribus onus recusabant, quos sua auctoritate, et viribus Salomon edomuit, aut, quod verius puto, gravius illis tributum, quod ante illorum aliqui nescierant, onus imposuit personale, de quo statim. (1)

(1) VERS. 21. — FECIT TRIBUTARIOS USQUE IN DIEM HANC. Hebraeus: *Fecit ire (vel ascendere) in tributum* (seu ad operas vectigales) *servile usque ad diem hanc.* Tradit Josephus, Salomonem jugo submisisse Chanaanæos, qui nondum parebant Israelitis, quique sedes habebant in Libano, et usque ad urbem Emath; imperasse illis tributum, adegisse ad servitum, servorum onera imposuisse, atque ex illis certum quotannis numerum ad opera agriculturae praestanda selegisse. Addi etiam potest, ad opera caetera pro arbitrio, uti ad aedificia, vel alia quaecumque. Perinde illos habuit Salomon ac bello captos, ex communi ejus aetatis lege. Jus illi fuisset victos neci tradere; maluit servare captivos. Miseram hanc conditionem subibant Chanaanæi, scriptoris horum librorum aetate: *Usque in diem hanc.* Appellat illos pariter *Esdras servos Salomonis*; e quibus nonnulli cum Judaeis è captivitate Babylonicâ redeuntibus admiscebantur. Nec alios credimus proselytos designatos in 1 Paral. 22, 2. Ex illis centum quinquaginta tria millia et sexcentos Salomon in regione deprehendit. 2 Par. 2, 17, 18.

FECIT SALOMON TRIBUTARIOS, scilicet Chana-